



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

34. An Satisfactio Sacramenti causet gratiam ex opere operato? Et an
implere poenitentiam in peccato mortali, sit peccatum mortale? Ex part. 3.
tr. 4. res. 70.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

opus ad Sacramentum, vt possit nobis prodesse ex opere operato. Hoc autem præceptum dari suadet, quia alioquin satisfactio non esset pars sensibilis Sacramenti: posset enim iniungi, præsertim agrotato, * satisfactio merè interna (vt v. g. quod Deum corde inuocet) quæ proinde neque erit sensibilis in se, neque in alio, quandoquidem nullam habet connexionem de facto cum illa sensibili iustione Sacramenti, sed ad eam se habet omnino concomitanter. Rursus fac, alicui impostam esse auditionem Sacri, is verò audiat Sacrum die festo nullo modo referens illud ad præceptum, vel Confessarij, vel Ecclesie: Erunt tunc auditio pars Sacramenti, necne? Hand enim videtur ratio alterutrius dicendi si quemadmodum potest satisfieri præcepto Ecclesie sine intentione, ita & penitentia Sacramentali. Denique id asserere videtur magis congruum, Cum enim effectus Sacramentalis conferatur secundum dispositionem ipsius penitentis, vt docet Sanctus Thomas 3. part. quest. 84. art. 1. expedit vt non sit pars Sacramenti opus à confessario iniunctum, si calu, & sine memoria talis obligationis quomodocumque fiat, sed tantum si fiat cum ea intentione, ad hoc vt penitens tunc melius se disponat ad recipiendum nouum effectum Sacramentalem. Hucusque Pallaucinus.

2. Sed ego puto in tali casu satisfactionem referri ad confessionem cum intentione virtuali, vel habituali, & ideo non solum penitentem non actualiter referentem illam satisfactionem ad confessionem, præceptum penitentia adimplere, sed illam satisfactionem relatum ad confessionem, virtualiter esse partem Sacramenti, & conferre gratiam ex opere operato. In vno tamen casu admitterem libenter opinionem Patris Pallaucini, quando v. g. penitens opus iniunctum executioni mandaret cum expressa intentione illius non adimplendæ: nam in tali casu existimo, per executionem penitentia iniunctæ cum intentione non satisfaciendi illi, satisfieri quidem præcepto confessarij vt docet Sanchez *ubi supr.* num. 17. cum Bonacina *de legib. d. 1. q. 1. pun. 10. num. 21.* non tamen illam habere rationem partis Sacramenti, & per consequens non remittere poenam ex opere operato. Sicut dicunt aliqui de executione penitentia, per actum, ex aliqua circumstantia malum. Ratio autem esse potest, quia sicut confessio, quæ est pars Sacramenti penitentia, debet fieri cum intentione confitendi, & absolutio dari debet à confessario, cum intentione absoluendi, saltem virtuali; Ita penitentia in satisfactioem iniuncta, vt possit dici pars Sacramenti, & vim habeat remittendi poenam ex opere operato, debet executioni mandari à penitente cum intentione satisfaciendi, saltem virtuali, vel habituali, ac per consequens, si executioni mandatur, cum expressa intentione non adimplendi penitentiam, non erit satisfactio Sacramentalis seu pars Sacramenti.

3. Sed obiter hic notandum Patri Pallaucino, *ubi supr. c. ult. n. 337.* non videri probabile, posse quempiam sibi commutare penitentiam propria auctoritate in opus euidenter melius, sicut votum; nam penitentia consideratur tamquam opus præceptum, & ideo includit exercitium obedientia: non est autem obediens qui operatur pro suo iudicio, & pro sua voluntate, non pro iudicio, & voluntate superioris. Et hæc est disparitas vniuersè inter præceptum, & votum. Ita ille. Sed licet ego huic sententia adhaream, non audeo tamen contrariam nota improbabilitatis inurere, & ideo illam præter Porcel, Villalobos Celestinum, & Leandrum, tamquam probabilem etiam admittunt Martinus de Sancto Ioseph in *Mon. Confess. tom. 1. lib. 1. tract. 23. de Pa-*

nitent. n. 14. & Eligius Bassius in *florib. Theol. pract. ver. satisfactio. num. 10.* vbi sic ait: Penitens non potest propria auctoritate penitentiam in æquale, aut in melius commutare, quia commutatio penitentia est actio Sacramentalis, & actus Iurisdictionis, qui sit à confessario, tamquam à superiore; penitens autem non potest in se actionem iurisdictionis Sacramentalis exercere, cum nullus sit sibi superior. Et hæc sententia est probabilior. Quamuis non sit improbabili contraria sententia. Ratio illorum est, quia quoties quis abundantiorum solutionem offert pro debito, ad quam est ex lege adstrictus, legem non soluit, sed abundantius implet; nec censendum erit, nouam legem, penitentem sibi auctoritate propria imponere, mutando penitentiam, nec actum Iudicij exercere, & iurisdictionis, sed verius implere legem à Confessario impostam. Ita Bassius.

RESOL. XXXIV.

An satisfactio sacramentalis causet gratiam ex opere operato?

Et an implere penitentiam in peccato mortali, sit peccatum mortale: Ex part. 3. tr. 4. Ref. 70.

§. 1. AD hanc questionem respondet Ioannes de la Cruz in *direct. conscient. part. 2. de sacram. Penit. q. 1. dub. 4. concl. 2.* vbi sic asserit: Probabilis est, quod satisfactio quando exercetur, (si non adit impedimentum peccati mortalis) causet gratiam ex opere operato, vt dicit ordinem ad clauas Ecclesie. Et si arguas, quod gratia penitentia causetur in instanti terminatio prolationis verborum Sacerdotis, *Ego te absoluo*, sed satisfactio fit postea, Ego ad hoc dico, quod in illo instanti causetur gratia essentialis Sacramenti: at quando postea fit satisfactio, causetur quædam perfectio, & augmentum gratia; sicut enim satisfactio est pars integralis istius Sacramenti, sic gratia ab ea causata efficit perfectionem, & integritatem eiusdem gratia. Ex quo patet non peccare mortaliter, eum, qui implet satisfactioem in peccato mortali, cum non ponat obicem effectui essentiali, sed soli perfectioni, & integritati eiusdem effectus. Ita ille & ante illum Ledelma in *summa. tom. 1. de sacram. Penit. cap. 1. dnb. 2. & alij.*

Sup hoc lege doctrinam Ref. seq. & alterius verbi eius primæ annot.

Super hoc infra in Ref. 37.

RESOL. XXXV.

An satisfactio sacramentalis in peccato mortali facta habeat suum effectum?

Et asseritur penitentiam in statu peccati mortalis impletam remittere postea poenam temporalem ex opere operato, quando recedit fictio, id est, quando cessat status ille.

Et an penitentia à Confessario taxata iuxta gravitatem peccatorum, & non minorata ob fragilitatem penitentis extinguat debitum totius poenæ temporalis restantis: Ex part. 5. tr. 13. & Milc. 1. Ref. 38.

§. 1. EX Soto, Adriano, Ledelma & Saatez negatiuam sententiam docet Ochagauia *de sacrament. tract. ult. de penit. quest. 15. num. 6.* Idem etiam ex Henriquez, & Coninch tenet Hurtadus *de sacramentis, dispus. 14. de penit. dissic. 14.* quibus adde Ioannem Præpositum in 3. part. quest. 12. *de satisfact. dub. 6. num. 82.* Villalobos in *summa. tom. 1. tract. 9. d. fficult. 76. num. 89.* & ratio est, quia ad satisfaciendum re vera ex vi Sacramenti, & tanquam pars sacramentalis ex opere operato tantum videtur assumptum illud opus poenale, quod ex se & natura

Sup hoc lege doctrinam Ref. præterita, & infr. ex Ref. 37. §. 1. ante medium verbi. Imo plus, & vide etiam Ref. annot. seq.